



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Concilium Northamtoniense In Anglia Celebratvm Anno Domini MCXXXVIII.
tempore Innocentii papae secundi, & Stephani regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

118 INNOCENTIVS C. SVESSIONENSE. LOTHARIUS IMPERATOR.
P. II. LUDOVICVS CRASSVS R. FR.

tum vertebatur 1116. quo Albericus Rhemensis & Leutaldus Nouariensis egerunt cum Radulpho archiepiscopo Rhemensi, ut Conofanca Romana ecclesia legatus ad Synodum Suezionis indictam euocaret Abailardum, Suezionibus iam sic exosum, ut profiteatur se ferme lapidatum ab eis, dictitantibus illum esse trium deorum predicatorum & assertorem. Legatus interim iussit Abailardum porrigere librum suum archiepiscopo. Interim ille palam differebat de theologicis in eodem tractatis. Tandem vero liber, utpote Trinitarius, Concilii decreto fuit combustus, Abailardusque iussus recitare symbolum beati Athanasii, quod inter singultus & lacrymas legit. Eo vero diecetum Abailardum sua superbia constat.

Hac ille de tempore celebrata Synodi Suezionensis: cui sententia accessisset, si nomen Guilielmi Catalaunensis episcopi synodicae epistolae Senonensi (quam post Abailardum in Lateranensi generali Synodo anno 1139. celebrata condemnatum indictam & congregatam fuisse constat infra in notis eiusdem Concilii) præfixum non esset: potissimum enim fundamentum quo dominus Picardus nititur, est illud, quod Guilielmus Catalaunensis episcopus, qui huic Synodo interfuit, anno 1119. obierit, quem ex allegata epistola synodica Senonensi 1140. adhuc superstitem fuisse constat. Ad hanc difficultatem subterfugiendam, ille infra in fine ad epist. 191. recte pro Guilielmo Catalaunensi, Gaufredus Catalaunensis, & pro A. Anebanense, Aliuis Atrebatenensis legendum esse iudicaret, si esset omnino certum fundamentum, quod in notis ad epistolam 3. probat, Guilielmum Catalaunensem anno 1119. sub Callisto papa II. e viuis excessisse.

Interim ego, auctoritatem Frisingensis securus, Concilium Suezionense sub Ludouico rege seniore, qui anno 1136. obiit, celebratum, non multis annis a Senonensi Synodo sciungendum esse putavi.

Maiorem difficultatem ingerit epistola Gaufrei de Claraualle ad Albanensem episcopum de rebus in Concilio Rhemensi gestis scripta, in cuius fine scribitur Cononem, qui sub Paschali II. obiit, hanc Synodus congregasse, eidemque præsedisse.

CONCILIVM NORTHAMTONIENSE
IN ANGLIA CELEBRATVM ANNO
Domini MCXXXVIII. tempore Innocentii papæ secundi, & Stephani regis.

NOTA.

Acta Con-
cilii quæ.

* *Concilium.*] Res gestas in Concilio continuator Florentii Vviginensis summatim referens scribit quæ sequuntur: *Rex Anglorum Stephanus, in octauis Pasche, quod erat IV. Idus Aprilis, tenuit Concilium Northamtonie, cui presidebant Eboracenſis archiepiscopus Turstanus, episcopi, abbates, comites, barones, nobiles quique per Angliam. In quo etiam Concilio quorundam electione, Exoniensi ecclesie iam pa-*

INNOCENTIVS C. LONDONIENSE. LOTHARIUS IMP. II9
P. II. STEPHANVS R. ANGL.

ANNO CHRISTI 1138. florali cura destituta, de medio facti presulis Guilielmi de Vvaravvast archidiaconus, nomine Robertus, paſtoralis cure preficitur. Due quoque dantur abbatia, una Vvincelcumba cuidam Cluniacensi monacho, ut ferunt, regis propinquus, nomine Roberto, altera sancta Maria Eboraci eiusdem ecclesia cuidam monacho. Quorum unus scilicet Vvincelcumbensis electus, die pentecostes XI. Kalendas Iunii, a venerando preſule Simone abbas Vvincelcumbensi ecclie ordinatur Vvigornie.

CONCILIVM LONDONIENSE
SVB PRÆSIDIO ALBERICI OSTIENSIS
episcopi, apostolicae sedis legati, celebratum in Anglia
anno MCXXXVIII. tempore Innocentii papæ II.

N O T A.

* Concilium.] Anno ab incarnatione Domini 1138. subiungit ibidem idem continuator, pontificatus autem domini papæ Innocentii anno 9. regnante nobilissimo Stephano rege Anglorum, Henrici regis magni nepote, anno tertio regni ipsius, celebrata est Synodus Londonie, in ecclesia sancti Petri apostolorum principis apud Vestmonasterium, mense Decembri, decimatercia die mensis. Vbi post multarum discussionem causarum promulgata sunt capitula ab omnibus confirmata numero 16. Praefuit autem Synodo Albericus Ostiensis episcopus, & predicti domini papæ Innocentii in Angliam & Scotiam legatus, cum episcopis diuersarum prouinciarum numero 17. & abbatibus circiter 30. & innumera cleri & populi multitudine.

